

nihil ab eo dignum memoria gestum reperio. Successit illi Candianus, Petri filius: cui a patre in collegam assumpto ob insolens ingenium abrogatum fuerat imperium; sed mutata cum annis vitæ ratione, quum in mores se faciliores composuisset, unius Petri Badoarii interjecto principatu, magno populi favore ad fastigium amissæ dignitatis fuerat revocatus. Infestabant interim Narentani proxima maria latrociniis, ita sane, ut nihilo melior fere esset Venetæ urbis conditio, quam eorum, qui obsidione premuntur, esse soleat: tum demum pudor iraque omnium animos ad vindictam stimulare: rem sane indignam, dicere, Venetos, qui tot clarissimas victorias ad eam diem mediis aquis essent assecuti, sua patientia effecisse, ut latrunculi quam paucissimi, quibus spes nulla nisi in fuga esset, ad id licentiæ pervenissent, ut nihil Veneto nomini quod tutum esset, reliquam fecissent: fuisse ad eam diem multos ab eis in conspectu civitatis oppressos: quid jam superesse, nisi ut facto ex alto impetu, in mediam urbem perrumpant, passimque miseros cives velut vilissimas oves trucidant. His querelis accensi animi confestim nova in Narentanos decernitur expeditio: tres & triginta naves, quas a forma *Gombarias* appellatas reperio, in altum deductæ: Ursus Badoarius & Petrus Rosolus cum imperio præfuerunt. Ad hujus novæ classis famam territi Narentani, non modo congregari non sunt ausi, sed per legatos etiam pacem petiere: quæ his conditionibus eis data est, ut omnia quæ Venetis damna ad eam diem intulissent, æqua æstimatione persolverent. Sunt qui dicant, infecta re, ut sæpe alias, classem Venetias reductam. Fœdus cum Aquilejensi Antistite per id tempus renovatum. Dominicus Olivolenis Antistes Joannis Baptistæ reliquias quasdam in fano a suis majoribus in ea parte urbis, quæ *Embragola* dicitur, olim constructo rite condidit. Candianus interim ex tribus filiis, non maximum neque minimum natu, sed medium inter utrumque, Petrum nomine sibi collegam cooptavit. Is non multo post in tantam provectus est insolentiam, ut patris,

939

942

*Post hunc  
Petrus Candianus præ-  
dicti Petri  
filius.*

948

*In Narentanos susci-  
pitur expeditio.*

*D. Jo. Baptistæ Tem-  
plum in Em-  
bragola con-  
ditum.*